



## **Chronicon chronicorum ecclesiastico-politicum**

ex huius superiorisque aetatis scriptoribus concinnatum ; qua non modo pontificum, archiepiscoporum, abbatum, &c., set et doctorum armis literisque illustrium, dies natalis ... egregiaque eorum ... facinora ... breviter delineantur ...

**Gruterus, Janus**

**Francoforti, 1614**

Onvphrii Panvini Veronensis Fratris Eremitæ Avgvstiniani, De Episcopatibvsm Titvlis, Et Diaconiis Cardinalivm, Liber Ad Alexandrvm Farnensivm Diaconum Cardinalem, & sanctæ Sedis Apostilicæ ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64659)

ONVPHRII  
PANVINII VERONENSIS

FRATRIS EREMITÆ AV-  
GVSTINIANI,

DE EPISCOPATIBVS, TITVLIS, ET  
DIACONIS CARDINALIVM,  
LIBER;

AD ALEXANDRVM FARNESIVM DIA-  
corum Cardinalem, & sanctæ Sedis Apосто-  
licæ Cancellarium.



Quum ad primæ totius instituti mei  
partis finem deuenirem Alexan-  
der Cardinalis amplissime, conue-  
niens esse existimaui, vt de Episco-  
patibus, Titulis, & Diaconis Car-  
dinalium, de quibus abundè in li-  
bro quem de eorum origine scri-  
psi, verba feci, quàm breuissimè  
differerem, quod in hoc libro sæpius repetantur; idemq;  
titulus quum duobus vel interdum tribus variatis nomi-  
nib. vocitetur, necessaria distinctione vt confusio euictetur  
opus habeat. Res deniquè maximè huic parti consenta-  
nea erit, quæ de Cardinalibus præcipuè est. Et quoniam  
tres Clericorum ordines, Cardinalium sibi cognomen  
assumpserunt, in eis explicandis temporum ordinem sequi  
decreui; quum enim primo Presbyteri, mox Diaconi, &  
longo tempore post Episcopi Cardinales appellati ceper-  
int; primo loco de Presbyteris & eorum titulis, deinde  
de Diaconis, & eorum Diaconis, postremo de Episcopis  
& eorum Episcopatibus verba faciam.

Tituli igitur erant templa, vel vt nunc dicitur, Ecclesia; siue loca sacra in Sanctorum honorem aut memoriam erecta, & per Vrbs regiones à Romanis Pontificibus antiquitus distincta, in quibus animarum cura à Presbyteris in eis commorantibus habebatur. Quibus qui præerat Presbyteri appellabantur Cardinales; hoc est, principales, similitudine à quatuor ventis Cardinalibus, id est, vt Seruius super Virgilium, principalibus, deducta. Quam enim in vnoquoque titulo plures essent Clerici, qui Sacramenta populis exhiberent, vel exhibentibus præsto essent, vt Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, is qui omnibus præerat Presbyter à cæteris Clericis illius tituli, vel à Romano Pontifice creatus, dicebatur Cardinalis, quod omnium dignior principaliorue esset in eo titulo commorantium, cæterosq; Clericos regetet vel gubernaret in titulo sibi commissio viuentes. De quorum origine breuiter tractaturus, res est paulò altius repetenda. Quam beatissimus Apostolorum princeps Petrus Catholice Romanæ Ecclesiæ Pontifex Primus, sacerdotio in Orientalibus Ecclesiis, præcipueq; Hierosolymis, & Antiochie te instituto, in urbem Romanam Ecclesiam fundaturus venisset, ex omni fidelium multitudine, præcipuisq; nostræ religionis cultoribus, viros quosdam teniores, bonum testimonium ab his qui foris sunt habentes, plenosq; Spiritu sancto, & sapientia, spectatæ fidei, & raræ probitatis Hierosolymitanæ, cæterarumq; Ecclesiarum Orientalium more delegit, (hi Clerici appellati sunt) quos per manuum impositionem partim Presbyteros, & partim Diaconos consecrauit; quorum opera Pontifex ipse, sicut Episcopus Romanus in instruenda crescente tunc Ecclesia vteretur, quam ei tot millibus hominum ad fidem Christi quotidie venientium consulere non esset integrum. Porro autem Presbyterorum & Diaconorum cura, vt pro se quisque suum officium & nosceret & impetigè faceret, diuidere in primis conducibile visum fuit. In que summam rerum animarum scilicet curandarum negotio

gocium Presbyteris commisit, vt Sacramenta ecclesiastica plebi Dei administrantes, orationi & ministratiōni verbi cum Episcopo vacarent. Diaconis autem viduarum, pupillarum, & reliquorum pauperum fidelium subueniendorum curam demandauit; eisque iniunxit, vt Presbyteris quoque sacra facientibus præsto essent. Quorum omnium numerus quum prius modicus & incertus esset, ei modum statuere Cletus & Euaristus Romani Pontifices. Cletus enim (vt auctor est ex Damaso Bibliothecarius) Presbyteros ad certum numerum redegit. Euaristus vero Apostolorum more ad septenarium numerum Diaconos in Ecclesia Romana auxit, quibus etiam iniunxit, vt Episcopum prædicantem propter stylum veritatis custodirent. Porro autem ne Presbyterorum administratio in promiscuo esset, idem Euaristus, qui tertius post beatum Petrum Apostolum Romanus Pontifex fuit, circa annum à Christo nato centesimum, titulis (vel vt nunc diximus) parœcias in vrbe Roma ipsis Presbyteris diuisit, vt singuli à se inuicem secreti in sua Vrbe regione titulo vel parœcia confusionis tollendæ causâ, diuina mysteria populū erudientes, Sacramenta Dei omnibus ad se venientibus fidelibus exhiberent; singulosque Presbyteros in vnoquoque titulo posuit; sufficere enim tum visum est is numerus propter credentium paucitatem. Verum non longè post fidelium quotidie crescentium multitudine permotus Hyginus Romanus Pontifex, quum tot credentibus non sufficerent hi, plures in vnoquoque titulo quum Clericos tum Presbyteros esse voluit. Hinc autem Presbyterorum Cardinalium, nomen manasse crediderim, vt is videlicet esset Presbyter Cardinalis, id est, principalis, q̄ cæteris Presbyteris eiusdem Tituli, (quos plures ab Hyginio factos fuisse dixi, quum prius vnus tantum per singulos titulos Presbyter fuisset) præesset: satis enim constat aliquot annis post, ante etiam S. Siluestri Papæ tempora Cardinalis nomen in Romana Ecclesia usurpari cœptum fuisse; quod non nisi ex Hy-

ginii instituto citari potuit, quum antea eo nomine vi-  
 pus non esset, quod non nisi vnus per singulos titulos  
 Presbyter fuisset. Post Hyginii tempora in Presbytero-  
 rum Romanorum titulis, nullam mutationem factam in-  
 ueni vsque ad Dionysii Papæ Pontificatum. Nam circa an-  
 num Christi 260. Dionysius XXV. post Petrum Apo-  
 stolum Pontifex Romanus, Euaristi exemplum sequen-  
 tus, quum iam religio Christiana mirum in modum in  
 vrbe creuisset, denuo titulos vel parœcias in vrbe Roma,  
 quum eas amplasset, Presbyteris diuisit, ipsasque quo-  
 quisque suis finibus limitibusque continerentur distri-  
 buit, pluribus per singulas vt Hyginus fecerat Presbyte-  
 ris constitutis, Presbyterorum quoque Romanæ Eccle-  
 siæ, curæ, cœmeteria adiunxit, quæ quum plura essent,  
 inter Presbyteros distribuit gubernanda, vt Martyrum se-  
 pulchris consultum esset. Verum non longè post circa an-  
 num Christi 305. Marcellus XXIX. post Petrum Apo-  
 stolum, Romanus Episcopus, titulos vrbs Romæ ab Eua-  
 risto antiquitus, & primo Presbyteris datos, numero-  
 mitauit decreto statuens xv. in vrbe Roma quasi Diœce-  
 ses esse ad Baptismatis commoditatem, eorumque op-  
 portunitatem, qui ad fidem ex gentibus quotidie venie-  
 bant, quin vt etiam Martyrum sepulchris consuleretur,  
 auctor est ex Damaso Bibliothecarius; titulos autem Ro-  
 manos siue parœcias cessantibus persecutionibus adu-  
 xere, Presbyterosque plures in singulis constituere. Su-  
 uerster qui titulum Equitii; Marcus qui titulum S. Mariæ  
 Julius qui titulum S. Mariæ Transiberim liberius; Da-  
 masus qui titulum S. Laurentii; Siricius, Anastasius, Le-  
 nocentius qui titulum Vestinæ, fecerant, & reliqui Pon-  
 tifices Romani. Quum enim primo infinita Gentium  
 multitudo, mox vrbs & Italia omnis fidem Christi, susce-  
 pisset, non sufficientibus xv. Titulis, nec his qui in vrbe  
 & Romanæ Ecclesiæ ornamentum, & maiestatem, & Ti-  
 tulum & Presbyterorum in vnoquoque titulo numero  
 antea

audus est; factiq; sunt tituli xxviii. quem numerum nunquam excessisse vsque ad nostra tempora satis constat, & paulò post explicabo. Qui omnes quum Ecclesiæ essent vel templa Diuis dicata, nomen sortiti sunt vel à sanctis quibus dedicati erant, vt S. Chryfogoni, S. Cæciliæ, S. Anastasiæ, S. Marci, & similibus: vel ab eis hominibus qui ipsos erexerunt, vt Callisti, Damasi, Equitii, Pastoris, Vestinæ, Endoxiæ, Lucinæ, Pammachii, & similibus. Porro autem xxviii. Titulorum numerum circa Innocentii I. vel Zosimi Papæ tempora expletum fuisse multis coniecturis & rationibus ductus, crediderim. Neque enim facile post Zosimum Papam inueniri potest, aliquem Romanorum Pontificum titulum quendam nouum addidisse: sed eos vel mutasse vel restituisse aut exornasse tantum inuenitur. Veteres autem xxviii. tituli, qui ante millesimum & centesimum ab hinc annum in vrbem fuerunt, quos tam exactionibus synodi Romanæ sub Symmaco Papa celebrata, quam ex Anastasio Bibliothecario excepi, sunt hi:

- 1 Titulus S. Iulii, aliàs S. Callisti, aliàs SS. Iulii & Callisti, aliàs Callisti, aliàs S. Mariæ Transiberim.
- 2 Titulus S. Chryfogoni Transiberim.
- 3 Titulus S. Cæciliæ Transiberim.
- 4 Titulus S. Anastasiæ sub Palatio.
- 5 Titulus Damasi, aliàs SS. Laurentii & Damasi, aliàs S. Damasi, alias S. Laurentii in Damaso.
- 6 Titulus S. Marci ad Palatinas.
- 7 Titulus Equitii, aliàs S. Siluestri, aliàs SS. Siluestri & Martini, aliàs S. Martini in montibus.
- 8 Titulus S. Sabinæ in monte Auentino.
- 9 Titulus S. Priscæ in monte Auentino, aliàs SS. Aquilæ & Priscæ.
- 10 Titulus S. Crescentianæ.
- 11 Titulus Falciolæ.
- 12 Titulus S. Caii.
- 13 Titulus S. Marcelli.
- 14 Titulus S. Susannæ ad duas domos, aliàs SS. Gabinii & Susannæ.

15. Basilica SS. xii. Apostolorum, alias Titulus SS. Apostolorum Philippi & Iacobi. verum hæc Ecclesia posterioribus temporibus sola inter has 28. Basilica, non titulus dicta est.
16. Titulus S. Cyriaci in Thermis Diocletiani.
17. Titulus S. Eusebii.
18. Titulus Pastoris, alias S. Pudentis, alias S. Pudentianæ.
19. Titulus Vestinæ, alias S. Geruasii & Protasii, alias S. Vitalis.
20. Titulus S. Matthæi in Merulana.
21. Titulus S. Clementis.
22. Titulus S. Praxedis.
23. Titulus Eudoxiæ, alias S. Petri ad vincula.
24. Titulus Lucinæ, alias S. Laurentii in Lucina.
25. Titulus S. Æmilianæ.
26. Titulus S. Nicomedis.
27. Titulus Pammachii; alias SS. Ioannis & Pauli.
28. Titulus Tigride.

Inuenitur quoque sub Innocentio Papa primo, titulus Byzantii in vrbe Roma, sed vel idem est cum aliquo supradictorum, quos multis nominibus vocari videmus, vel tituli dignitatem amisit, vt plerisque aliis titulis accidit, atque in eius locum fortè factus fuit titulus Vestinæ, alias S. Vitalis, qui ab eodem Papa Innocentio primo institutus est; vt in eius vita auctor est Bibliothecarius. Qui autem Romanorum Pontificum, qui solius vrbe Roma erigendi vel transferendi titulos ius habebant, vnumquemque ex supradictis, vel post dicendis titulis erexerint, explicauit in eo libro quem de Vrbe Basilicis & Ecclesiis conscripsi. Quum verò non nisi 28. tituli fuerint, totidem quoque Cardinales Presbyteri, neque plures neque pauciores fuisse necesse fuit. si enim hi tantum Presbyteri qui titulis præerant Cardinales appellabantur, titulisq; tantum 28. Romæ erant, totidem quoque esse Cardinales Presbyteros oportebat. Quod etiam

etiam fuisse ex multis locis satis constat, quibus liquet Cardinales Presbyteros semper numero quodam certo, & limitato fuisse, videlicet 28. Id autem speciatim declaravit Pandolphus Pisanus, Subdiaconus Apostolicus, qui vias Romanorum Pontificum scripsit, in electione Gelasii Papæ II. Duravit autem hæc consuetudo ut Cardinales Presbyteri xxviii. essent vsq; ad Honorii Papæ II. tempora, & annum Christi 1125. quo tempore id observari desitum: quod qua ratione factum fuerit alibi explicabitur.

Cæterum omnes superius relati xxviii. tituli, septem exceptis nostris adhuc temporibus extant. Eos enim septem circa Gregorii Papæ I. tempora, siue paulò ante, vel obsoleuisse, titulosq; esse desit, vel aliquos ex eisdem mutatis n omnibus cum his aliis septem necesse est; Desunt enim titulus S. Crescentianæ

Titulus Fasciolæ

Titulus S. Caii

Titulus S. Matthæi in Merulana

Titulus S. Æmilianæ

Titulus S. Nicomedis, &

Titulus Tigride.

Pro quibus in actione Synodi Romanæ sub Gregorio Papa I. celebratæ, & apud Anastasium Bibliothecarium hos septem repositos fuisse inueni,

Titulum S. Balbinæ in monte Auentino

Titulum SS. Nerei & Achillei

Titulum S. Xysti

Titulum SS. Marcellini & Petri

Titulum S. Crucis in Hierusalem

Titulum S. Stephani in monte Cælio, &

Titulum SS. quatuor Coronatorum.

Qui xxi. priorib; adiuncti, xxviii. numerum explent, quiq; omnes vno excepto nostra adhuc ætate extant. Desit enim Titulus S. Cyriaci in Thermis Diocletiani, qui quum præ vetustate corruisset, eo templo solo æquato Ti-



tulus à Xysto IV. ad Ecclesiam SS. Quirici & Julitæ transfatus est, vbi & nunc quoq; manet.

Cæterum cur tantum xxviii. Tituli, & non plures neque pauciores simul instituti fuerint, opera precium erit explicare, huicq; instituto maxime consentaneum, quum hæc res mysterio non vacet.

Veteres Romani Pontifices, vt habetur ex libro Camera Apostolicæ, qui appellatur Prouincialis, quinque in vrbe Roma maiores & præstantiores Basilicas, vel iam fabricatas eligentes, vel nouas fabricantes eas Patriarchales Ecclesias, palatiaq; illis adiuncta Patriarchia appellauerunt, quæ fuerunt

Basilica Lateranensis, quæ & Constantiniana; aliàs S. Saluatoris, aliàs S. Joannis appellata est.

Basilica S. Petri in Vaticano.

Basilica S. Pauli extra muros vrbis via Ostiensis.

Basilica S. Mariæ maioris aliàs ad præsepe, &

Basilica SS. Stephani, & Laurentii extra muros vrbis, in Tiburtina.

Quod etiam referi Joan. Monach. in C. Fundamenta de elect. in vi. his duobus versiculis:

*Paulus, Virgo, Petrus, Laurentis atq; Joannes,*

*Hi Patriarchatus nomen in vrbe tenent.*

Quod cur fecerint, duplex causa refertur. Primum quod hæc quinque sedes Patriarchales, pro quinque principis orbis Patriarchis, honoris gratia fuerint instituta, vno videlicet indigena, & quatuor aduenis; Romani, qui Laterani; Constantinopolitano, qui ad S. Petrum Alexandrino, qui ad S. Paulum; Antiocheno, qui ad S. Mariam maiorem; & Hierosolymitano, qui ad S. Laurentium residerent: quoties enim contigisset generalia Concilia in vrbe celebrari, ad quæ accedere Patriarchæ ipsi tenebantur, vel Patriarchas ipsos pro arduis reipublicæ Christianæ negociis diffiniendis ad urbem accedere, eorum vnusquisque Sedem, Palatium videlicet, & Ecclesiam, tanquam in natali solo, vel prouincia sua Romæ haberet.

beret præcipuam, quum vrbs ipsa communis totius orbis patria appelletur. Altera ratio quæ mihi longè verifimilior videtur, est, vt per hæc demonstraretur, Patriarcham, siue Pontificem Romanum (qui & ipse aliquando Patriarcha appellatus est) tanquam caput & principem totius orbis Ecclesiarum, alios Patriarchas, qui singillatim per suas dioceses totum orbem Christianum regunt & gubernant, subditos habere, ac aliis omnibus Sedibus Patriarchalibus præesse, vt Ecclesiæ ipsius vniuersalis vnitas demonstraretur; per quinque enim Ecclesias Patriarchales videntur, quod vrbes & Romana Ecclesiæ quinque Patriarchas ipsos, videlicet Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum, & per consequens vniuersum orbem representet, & ad eius composita fuerit exemplar, quum eas in vrbe habeat Sedes Patriarchales, quæ sunt in vniuerso orbeterrarum. Posset demum & tertia eiusmodi rei afferri causa superiori non abfimilis; Ecclesiam Lateranensem (quæ & Romana dicitur) vniuersum orbem Christianum significare, & eum quæ est eius Episcopus Episcopum quoque esse totius orbis Christiani, per reliquas verò *iv.* Sedes quatuor orbis partes designari, videl. Orientem, Occidentem, Septentrionem & Meridiem, quodque sicut Papa vel Basilica Lateranensis, his quatuor alijs Basilicis, vel in eis sedentibus, præest, Basilicæque Lateranensis membra sunt, sic etiam Papa toti orbi præsit Christiano, quam rem ita esse colligitur ex antiqua pictura, quæ fuit in Lateranensi Patriarchio, his simulacris expressa. Ex his autem Basilicis, Lateranensis, aliàs sancti Saluatoris, quæ & Constantiniana appellatur, prima est, Romanam Ecclesiam representans, ipsaque est Romani Pontificis Sedes, vbi ipse olim in Patriarchio iuxta eandem Ecclesiam fabricato per mille annos commoratus est, videlicet vsque ad Clementis V. Pontificatum, qui in Gallis Romanam curiam transtulit, post cuius ad orbem reductionem sub Gregorio X. Romani Pontifices, nequaquam amplius Laterani,

sed in Patriarchio prope S. Petrum permanere, Basilica igitur Lateranensi propter suam & Episcopi Romani supremam excellentiam septem Episcopi ex circumvicinis ciuitatibus assignati sunt, qui suis staus solennibusque diebus, singuli coram Romano Pontifice in eadem Basilica celebrarent diuina mysteria, vel Pontifici celebranti assistentes essent, atq; ob eam causam postea Episcopi Cardinales, id est, principales, quod huic Ecclesie & Romani Pontificis ministerio ascripti essent, appellari ceperunt, quod quo tempore factum fuerit, paulò post exponam. Sunt autem hi VII.

Episcopus Cardinalis Ostiensis, qui solus ob consecrationem Romani Pontificis quæ ad eum pertinet, inter omnes Episcopos, in ipsa consecratione pallio vitatur, quæ Ecclesie vnita fuit Ecclesia Veliterna,

Episcopus Card. Portuensis.

Episcopus Card. SS. Rufinæ & Secundæ, aliàs Siluæ candidæ.

Episcopus Cardinalis Sabinus.

Episcopus Cardinalis Prænestinus.

Episcopus Cardinalis Tusculanus.

Episcopus Cardinalis Albanus.

In hac autem Basilica, qui vices Papæ ageret, antequam prius erat Prior cum Canonicis Regularibus ordinis S. Augustini, nunc habet Archipresbyterum, qui est Cardinalis & Canonicos sæculares, ibidem à Bonifacio VIII. Papa, pulsus regularibus constitutos.

Secunda Basilica Patriarchalis, Orientis vel Ecclesie Constantinopolitanæ typum gerens, est Basilica S. Petri in Vaticano, quæ habet Archipresbyterum, qui est Cardinalis, & Canonicos sæculares, cuius ministerio, eadem ratione, qua & Basilica Lateranensi assignati sunt septem Presbyteri Cardinales, quod minoris dignitatis esset, quàm Basilica Lateranensis, in qua erant Episcopi fuerunt autem

Presby

Presbyter Cardinalis Tituli S. Mariæ Transiberim

Presbyt. Card. tt. S. Chryfogoni

Presbyt. Card. tt. S. Cæciliæ

Presbyt. Card. tt. S. Anastasiæ

Presbyt. Card. tt. S. Laurentii in Damaso

Presbyter Cardinalis Tituli S. Marci

Presbyter Card. tt. S. Martini in Montibus.

Tertia Basilica Patriarchalis, occidentem vel Ecclesiam Alexandrinam repræsentans, est Basilica S. Pauli Apostoli extra muros urbis via Ostiensi, quæ pro Rectore habet Abbatem & Monachos ordinis S. Benedicti, cuius Ecclesiæ ministerio, ob eandem causam, qua & Lateranensi, & S. Petri Basilicis VII. alii assignati sunt Presbyteri Cardinales, qui fuerunt

Presbyt. Card. tt. S. Sabinæ

Presbyt. Card. tt. S. Priscæ

Presbyt. Card. tt. S. Balbinæ

Presbyt. Card. tt. SS. Nerei & Achillei

Presbyt. Card. tt. S. Xysti

Presbyt. Card. tt. S. Marcelli

Presbyt. Card. tt. S. Susannæ.

Quarta Basilica Patriarchalis, Septentrionem vel Ecclesiam Antiochenam designans, est Basilica S. Mariæ Maioris, quæ habet Archipresbyterum, qui est Cardinalis, & Canonicos sæculares, cuius obsequio assignati sunt hi VII. alii Presbyteri Cardinales. videlicet

Presbyter Cardinalis Basilicæ SS. XII. Apostolorum

Presbyt. Card. tt. S. Cyriaci in Thermis

Presbyt. Card. tt. S. Eusebii

Presbyt. Card. tt. S. Pudencianæ

Presbyt. Card. tt. S. Vitalis

Presbyt. Card. tt. SS. Marcellini, & Petri

Presbyt. Card. tt. S. Clementis.

Quinta Ecclesia Patriarchalis est Basilica S. Laurentii extra muros via Tiburtina Meridiem vel Hierosolymitanam Ecclesiam referens, quæ olim habebat Abbatem &

Monachos, nunc est in commenda, habetq; Canonicos  
Regulares S. Saluatoris de Scopeto, cuius obsequiis in  
Missis celebrandis assignati fuerunt hi VII. reliqui Presby-  
teri Cardinales, videlicet

Presbyter Cardinalis tit. S. Praxedis

Presbyt. Card. tit. S. Petri ad Vincula

Presbyt. Card. tit. S. Laurentii in Lucina

Presbyt. Card. tit. S. Crucis in Hierusalem

Presbyt. Card. tit. S. Stephani in monte Caelio

Presbyt. Card. tit. SS. Joannis & Pauli

Presbyt. Card. tit. SS. quatuor Coronatorum.

Si igitur singulis ex his quatuor Basilicis Patriarchali-  
bus VII. Presbyteri Cardinales assignentur, necessarii o-  
runtur XXVIII. Presbyteri Cardinales, quibus si addantur  
VII. Episcopi, erunt XXXV. Cardinales Sacerdotes. He-  
itaque ratio est, cur non nisi VII. Episcopi Cardinales, &  
XXVIII. Presbyteri fuerint, quum non nisi totidem su-  
runt Episcopatus & Tituli Cardinalium; cur autem non  
nisi XXVIII. Tituli fuerint visum est. De Diaconis autem  
qui & ipsi numero quodam certo & limitato erant, vi-  
delicet XVIII. suo loco verba faciam.

Perdurauit autem sic XXVIII. Presbyterorum Car-  
dinalium integer numerus, vt habetur ex Pandulpho  
Pisano in vita Gelasii II. vsque ad Honorii Papae  
tempora, annumque Christi 1125: quo tempore re-  
giolus hic ordo paulatim labefactari coepit, motien-  
bus etiam Cardinalibus Presbyteris, tunc primum Ti-  
tulis ipsis suo Rectore orbatis, per Pontificem de-  
iureo Presbytero Cardinali prouideri desitum, neque  
antiquitus consuetudo erat, statim in defuncti locum  
alter amplius non subrogabatur Presbyter Cardinalis,  
quare factum est, vt sensim numerus Presbyterorum  
Cardinalium decrefcere coepit, & adeo diminitus pa-  
latim est, vt aliquando tempus fuerit, in quo non  
duo Presbyteri Cardinales viuentes in collegio essent,  
vt sub Alexandri Papae III. obitu, & creatione Viti-  
ni II.

ni III. Cur autem Honorius ipse II. id primum cœpe-  
 rit, & eius exemplum sequentes Romani Pontifices imi-  
 tati sint, causa hæc fuit. Sub prædecessore Honorii  
 II. videlicet Callisto II. pax inter Romanam Ecclesiam  
 & Imperium sub Henrico V. post longissimum dissidium,  
 & multa schismata ob sacerdotiorum inuestituras exorta,  
 reformata fuerat, in qua inter cætera multa cautum fuit,  
 vt Romani Pontificis electio ad Cardinales, Clerumque  
 vrbis pertineret, neque amplius Imperatores ius ali-  
 quod, vt hætenus habuerant, haberent in Romano-  
 rum Pontificum creationibus. Quumque ob Cardina-  
 lium multitudinem, pleraque schismata in nouis Roma-  
 norum Pontificum creationibus orirentur (nondum e-  
 nim lex instituta erat de duabus partib. Cardinalium) hoc  
 malum repressuri Romani Pontifices, Cardinalium nu-  
 merum paulatim diminuere cœperunt, & qui prius ad-  
 ditus xviii. Diaconis certus & determinatus erat, vide-  
 licet quinquaginta trium, sensim dilabi & ad incertum  
 numerum reduci cœpit, primo enim ex lxxii. sub Inno-  
 centio II. vel Cœlestino II. xl. esse cœperunt, mox  
 xxxv. deinde xxx. postea xxv. ad hæc xx. post xv. vel  
 x. postremo (vt dixi) ad eam paucitatem aliquando re-  
 ducti sunt, vt non essent nisi vii. Cardinales viuentes,  
 videlicet tres Presbyteri & quatuor Diaconi, vt quando  
 creatus fuit Nicolaus Papa III. Etenim Cardinalium nu-  
 merus vsque ad id tempus, quo pauciores Cardinales nun-  
 quam fuerunt, diminui non desit; post quod sensim au-  
 geri cœpit, vt essent xv. post xx. vt sub Bonifacio  
 VIII. Auiuione deinceps eorum numerus iterum  
 crescere cœpit, nunquam tamen vsque ad Xysti IIII.  
 Pontificatum xxx. numerum attigerunt. Præsertim  
 quum in Concilio Constantiensi cautum fuerit, ne  
 plures quàm XXIIII. Cardinales viuentes si-  
 mul essent. Primus Papa Xystus IIII. nulla habi-  
 ta ratione decreti Concilii Constantiensis Cardinali-  
 um numerum, supra omnes prædecessores suos

maxime ampliauit; cuius exemplum optime sequutus est Alexander Papa VI. Nullus tamen horum Pontificum antiquum LIII. numerum excessit, vt essent videlicet Cardinales plures quàm LIII. quum nec eum numerus attigerint.

Sed omnium Romanorum Pontificum primus fuit Leo X. qui antiqui instituti ratione non habita magna illa xxxi. Cardinalium creatione, veterem & antiquum atq; a nullo vnquam Romanorum Pontificum excessum numerum LIII. longe superauit. Nam sub Leone X. plus minus LXXV. Cardinales simul viuentes fuerunt, quod nunquam alias contigerat post fundatâ Romanam Ecclesiam. eius exemplum sequuti sunt Paulus III. & qui nunc vult Paulus III. prior n. ad LXXIII. numerum Cardinales aucti, sequens ad LXX. quem quoq; numerum nunquam preterea fuisse satis constar. Quum igitur Presbyteri Cardinales numerum illum XXVIII. exceßerint, nouis titulis opus fuit vt nouis illis tribuerentur Cardinalibus, qui XXVIII. numerum exceßerant, qui per diuersos Pontifices facti sunt. Quod etiam ob aliam rationem facere coacti sunt Romani Pontifices. In Romana enim Ecclesia abusus inleuit, vt vnus Cardinalis duo aliquando habuerit Sacerdotia Cardinalitia. Hoc autem præsertim Episcopi Cardinales fecerunt, qui Episcopi facti priorem Titulum vel Diaconiam, quam antequam essent Episcopi creatam habebant, retinuerint, qui abusus vt pleraque alia per Eugenii III. tempora, & præsertim sub Xysto III. originem habuit. Iulianus enim eius nepos Episcopus Cardinalis Ostiensis factus, Titulum S. Petri ad vincula retinuit; Marcus Barbus Episcopus Prænestinus factus, titulum S. Marci non dimisit. Idem fecerunt Bernardinus Caruaial Cardinalis tt. S. Crucis, Marcus Vogerius Cardinalis tt. S. Mariæ Transiberim, Io. Dominicus Cappis Card. tt. S. Laurentii in Lucina, nuper quoque Franciscus Pisanus Cardinalis S. Marci, & plerique alii, quos nunc enumerare superfluum est. Has igitur ob causas

primu

primus post mille annorum interuallum, Xystus IIII. Pa-  
pa nouum titulum addidit anno MCDLXXVII. qui  
fuit

Titulus S. Nicolai inter imagines prope Amphithea-  
trum siue Colosseum, quem Cardinali Presbytero Petro  
Fulcaro Veneto dedit.

Secundus Leo Papa X. magna illa XXXI. Cardinalium  
creatione anno MDXVII. antiquissimum titulum S.  
Matthæi in Merulana, qui per mille & eo amplius annos ti-  
tulus esse desierat, restituit, & XI. alios nouos titulos fecit,  
qui fuerunt

Titulus S. Ioannis ante Portam Latinam.

Titulus S. Casarii in Palatio.

Titulus S. Hagneticis in Agone.

Titulus S. Apollinaris.

Titulus S. Laurentii in pane & perna.

Titulus S. Siluestri in campo Martio.

Titulus S. Thomæ in Parione.

Titulus S. Pancratii.

Titulus S. Callisti.

Titulus S. Bartholomæi in insula, alias inter pontes.

Titulus S. Mariæ de Capitolio, alias de Aracæli.

Tertio Papa Iulius III. anno MDLII. tres nouos titulos  
adiunxit, qui fuerunt

Titulus S. Mariæ in Via.

Titulus S. Barbaræ.

Titulus S. Simeonis.

Nouissime Paulus III. anno MDLVII. Titulum no-  
uum adiunxit, uidelicet S. Mariæ super Minervam.

Tituli igitur XVII. noui facti, vnus à Xysto; XII. à Leo-  
ne; tres à Iulio III. & vnus à Paulo III. qui XXVII. an-  
tiquis adiuncti erant omnino XLV.

Omnium autem Presbyterorum Cardinalium senior  
siue antiquior, appellatur S. R. E. Archipresbyter Cardina-  
lis, qui nostro tempore est Claudius de Giuri, Gallus, Pres-  
byter Card. tr. S. Hagneticis in Agone, de cuius officio &



dignitate latius differui in libro, quem de Cardinalium origine conscripsi.

Antiquitus porro mos fuit, qui etiam per mille annorum spacium seruatus est, vt Presbyter Cardinalis vrbs Romæ, neque Episcopus esset, vel Episcopatum administraret, vel ex Episcopo fieret Presbyter Cardinalis, quum maior dignitas tunc fuerit esse Episcopum cuiuslibet diocesis quam Cardinalem, quod ex Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ secus quam nunc obseruatur, Episcopi diuersarum ciuitatum creati fuerint, ex Cardinalatu enim gradus erat ad Episcopatum, sicut nunc ex Episcopatu ad Cardinalatum, Cardinalisque Presbyter Episcopus factus, esse Cardinalem desinebat, sicut nunc Episcopus, Cardinalis factus, amplius non appellatur Episcopus, sed Presbyter Cardinalis S. R. E. & Administrator perpetuus illius Episcopatus, quod se inuicem compati non possint esse Presbyterum Cardinalem vrbs Romæ, & Episcopum alterius Ecclesiæ, repugnat enim Presbyter & Episcopus, quod antiquis Canonibus cautum fuerit, vnum hominem non nisi vno sacerdotio potiri posse. Verum quum Cardinalium maiestas, cum Romani Pontificis auctoritas in dies crescere cœpisset, multique Cardinales esse ambirent, postea paulatim vsurpatum est vt ex Episcopis fierent Cardinales, & primo vsus fuit, vt ex Episcopis non Cardinalibus fierent Episcopi Cardinales, & non Presbyteri & Diaconi, post etiam ex Episcopis Presbyteri fieri cœperunt, primusque omnium ex Episcopo Viterbiense, & Tulusense Cardinalis Presbyter tt. S. Clementis factus fuit Ioannes quidam, Item ex Episcopo Ariminensi, Cardinalis Presbyter tt. S. Praxedis factus est alius Rufinus nomine à Clemente III. Papa circa annum Domini M. C. X. C. primo enim Cardinales Presbyteri non nisi ex Monachis vel Abbatibus, Decanis, Archipresbyteris, Archidiaconis, Prioribus & ceteris eiusmodi hominibus fiebant. Post Clementem vero III. passim vsurpari cœptum est vt non

Solum Presbyteri Cardinales sed etiam Diaconi ex Episcopis licet ante consecrationem, crearentur, qui enim Episcopi ordinati erant fiebant Presbyteri, qui non sed adhuc electi ordinabantur Diaconi; & quoniam (vt dixi) Presbyter, & Episcopus se inuicem pari non possunt, qui ex Episcopis facti sunt Presbyteri Cardinales, perpetui administratores deinceps illorum Episcopatum non Episcopi appellati, qui vero Diaconi Cardinales creati sunt, electos se illius Episcopatus nominabant. In qua re vsque ad Clementem V. temperantes fuerunt Romani Pontifices. Auinione vero passim, & nulla habita antiquissimi institutione obseruatum est, nullusque fere Cardinalis creatus, qui non haberet Episcopatum vel in titulum, vel in commendam, vel in perpetuam administrationem, quæ omnia nomina Auinione inuenta sunt. Hæc autem consuetudo vsque ad nostra tempora perduravit, in quibus eo deuentum fuerat, vt vnus Cardinalis Presbyter vel Diaconus non vnum tantum haberet in commenda Episcopatum sed aliquando tres, quatuor, vel quinque & aliquando sex. Cui rei modus quidam impositus fuit in concilio Tridentino, sed hæc alibi latius. Atque hæc sunt quæ de Presbyteris Cardin. speciatim, breuiterque dicere sufficiens visum fuit.

Diaconis autem quos ad septenarium numerum auxisse dixi in vrbe Roma Euaristum, quum ante præscriptum sibi & certum locum non haberent, sed eorum munia in promiscuo essent, primo vrbs Regiones singulis diuisit Fabianus XIX. post Petrum Apostolum Pontifex Romanus circa Annum Christi C C X L. vt vnusquisque in suis Regionibus, fidelium necessitatibus, ex Ecclesiæ thesauris, atque Christianorum oblationibus, à Subdiaconi collectis, atque ab ipsis custoditis, quantum in se essent suppeditarent; Presbyteris deinde Paræciatum in sua Regione constitutis in omnibus quæ ad sacra facienda pertinebant, ministrarent. Ex ipsis autem primum, vel

antiquiorem, cum Episcopi, Cleri, populiq; consensu electum Archidiaconum, vel Diaconum Cardinalem primum, principalem appellari statuere antiqui Pontifices, sicut & Presbyterorum primum Archipresbyterum. Vnde ergo antiquissimis temporib. erat tantum Diaconus Cardinalis id est, principalis, videlicet primus ex illis VII. Quod aperte colligitur ex actionibus Synodi Romane sub Siluestro Papa primo celebratae. Cessantibus autem persecutionibus, paceq; Ecclesiae data, sicut Presbyterorum & Paroeciarum, ita & Diaconorum numerus auctus est. Quum enim prius tantum septem essent, singulq; Diaconi duabus regionibus praessent ( in XIII. enim Regionibus Roma tunc diuidebatur ) postea statutum est, ut singulis vrbis Regionibus singuli Diaconi essent, atq; XIII. facti sunt, quorum primus dicebatur Archidiaconus vel Diaconus Cardinalis, ceteri vero Diaconi dicebantur Diaconi illius vel illius Regionis, verbi gratia prima, septima, decima, vel duodecima. Demum crescente in dies Christiana religione his non sufficientibus, vel ad Ecclesiae maiestatem augendam plures in vnaquaque Regione Diaconi creari ceperunt, eorumq; numerus sicut & Presbyterorum Cardinalium incertus atq; indeterminatus factus est. Dignior vero sive Antiquior Diaconus à ceteris eiusdem Regionis Clericis vel Romano Pontifice, electus, Diaconus Cardinalis appellatus fuit. Qua ratione factum est, ut XIII. postea Diaconi Cardinales fuerint, quot videlicet erant Regionibus, qui vt de Presbyteris dixi, ideo Cardinales, et principales dicti sunt, vt à ceteris Diaconis non Cardinalibus discernentur, quorum iam numerus per singulas vrbis Regionibus, vel Titulos magnus factus fuerat, sicut & Presbyterorum non Cardinalium. Quatuordecim postea Diaconis Cardinalibus, quatuor additi sunt alij Diaconi Cardinales, quorum munus tantum erat, Lateranensi Basilicae, vel Pontifici Romano, ibidem celebranti ministrare, quos & altaris Lateranensis ministros appellatos fuisse legi, sicque XVIII. numerus exple-

tus. Quem numerum semel solus omnium Romanorum Pontificum, (quod sciam) excessit Paulus III. Sub quo anno Domini MDXLV. XIX. Diaconi Cardinales viuentes fuerunt. Sicut enim XXVIII. Presbyteris Cardinalibus, sic XVIII. Diaconis fixus & præscriptus numerus fuit. Qui eadem ratione & eodem tempore, quo & Presbyterorum, paulatim post Honorii II. tempora sub sequentibus Pontificibus adeo diminutus est, vt non nisi tres Diaconi Cardinales viuentes aliquando fuerint, vt tempore creationis Nicolai Papæ IIII. Postea paulatim vt de Presbyteris dictum est, crescere cœpit. Vt autem ad superiora quæ restant declaranda reuertamur, non ignorandum est, quod eo tempore quo XIII. Diaconorum numerus factus est, loca vel ab antiquis, vel noua fabricata in quibus manerent, eis assignata fuerunt, quæ postea ab eis Diaconia appellata sunt. Hæc quoque erant Tempa, siue Ecclesia, in sanctorum honorem vel memoriam dedicata, domos adiunctas habentes, sicuti & aliæ vrbis Basilicæ & Ticuli, sine animarum cura; quum enim eorum custodes Diaconi non presbyteri essent, animarum (vt nunc dicimus) curam non habebant, iccirco neque Ticuli, neque Parœciæ dici poterant, licet essent consecrata, & in Duorum honorem dedicata, à quibus postea Diaconi ipsi Cardinales Regionarii, antiquata Regionis appellatione, cognomina ac distinctiones sortiti sunt. Primo enim (vt dixi) nominabantur Diaconus Cardinalis primæ, tertiæ, vel sextæ, aut X. Regionis, quarum Diaconi Cardinales erant, postea dici cœpti Diaconus Cardinalis, huius vel illius Diaconia; verbi gratia S. Theodori; S. Hadriani; SS. Sergii & Bacchi; S. Mariæ nouæ, & cætera. Quod more Presbyterorum Cardinalium factum existimo, qui semper cum adiectione illius Tituli cui præerant se nominabant, vt Ioannes presbyter Card. S. R. E. tt. S. Mariæ Transtiberim. Hi igitur in suis Diaconiis commemorantes (quas & Martyria à quibusdam vocari legi, quod ibi martyrum sepulchra essent) demandata sibi mu-

nia in sua regione impigre faciebant, Pontificique Romano sacra facienti præsto aderant, ecclesiæ quoque Romanæ Thesuros custodientes, pecunias plebi inopia laboranti, iuxta præscriptas sibi rationes in suis regionibus largiebantur, & cetera omnia agebant, quæ explicauit in libro quem de origine sacrorum ordinum conscripsi.

Porro autem XVIII. Diaconias, quæ tot erant, quæ erant Diaconi Cardinales, circa Gregorii Papæ primi tempora institutas fuisse, non leuibus rationibus mihi persuasit, quando etiam, & XXVIII. Titulorum posterior series facta fuit. fuerunt autem hæc.

Diaconia S. Mariæ in Domnica, vbi manebat Archidiaconus.

Diaconia S. Lucie in Circo iuxta Septisolum, quæ nunc est vetustate consumpta.

Diaconia S. Mariæ nouæ.

Diaconia SS. Cosmæ, & Damiani.

Diaconia S. Hadriani.

Diaconia SS. Sergii, & Bacchi.

Diaconia S. Theodori.

Diaconia S. Georgii in Velabro.

Diaconia S. Mariæ in Cosmedia, alias Schola Græca.

Diaconia S. Mariæ in porticu.

Diaconia S. Nicolai in carcere Tulliano.

Diaconia S. Angeli in Piscina,

Diaconia S. Eustachii iuxta Pantheum,

Diaconia S. Mariæ in Aquiro,

Diaconia S. Mariæ in Via lata,

Diaconia S. Agathæ in Equo marmoreo,

Diaconia S. Lucie in Silice, alias capite subura, alias Ophæa,

Diaconia S. S. Viti, & Modestæ in macello martirum,

Porro autem has Diaconias semper fuisse legi, & nuncquam vel additis nouis, vel antiquis sublati mutatas, vsque ad Leonis X. Pontificatum, qui primus omnium Romanorum

norum Pontificum Diaconiam vnā nouam adiunxit, quæ fuit

Diaconia S. Onophrii in Vaticano, quam Ioanni Cardinali Lotharingo à se creato tradidit.

Diaconia autem adeo erant à titulis distinctæ, vt nulla ratione neq; Presbyter Cardinalis Diaconiam, neque Diaconus Cardinalis titulum vnquam habuerit. Sed quando accidebat Diaconum Cardinalem in Presbyterum consecrari, is relicta Diaconia sua titulum accipiebat, quem religiosum ordinem, per mille, & amplius annos in ecclesia Romana obseruatum primus omnium Romanorum Pontificum non obseruauit, sed euerit Xystus Papa IIII. quem, & ceteri Romani Pontifices sequuti sunt. Xystus enim in secunda sua Cardinalium creatione, anno Domini MCCCCLXXIII. quod nunquam antea factum fuerat, Presbyteris Cardinalibus nouiter à se creatis protitulis, quinque Diaconias dedit, quæ fuerunt

S. Hadriani, quæ & à Paulo III. iterum alio Presbytero Cardinali data fuit.

S. Mariæ in Domnica,

SS. Viti, & Modestæ in macello martyrum,

S. Lucie in Silice, alias in Orphea, quam ter dedit Presbyteris, quæ postea à Iulio III. & nouissimo à Paulo III. aliis Presbyteris Cardinalibus data fuit.

SS. Sergii, & Bacchi, quæ iterum ab Alexandro VI. tradita fuit Cardinali Presbytero.

Alexander autem VI. Diaconiam S. Agathæ Presbyteris Cardinalibus bis, Iulius vero III. semel tradidit.

Leo X. Diaconiam S. Angelæ in Piscina semel, Paulus vero III. bis Presbyteris Cardinalibus tradidit.

Diaconia S. Nicolai in carcere Tulliano à Clemente VII. Presbytero Cardinali semel data fuit.

Diaconia vero S. Mariæ in Porticu à Paulo III. Presbytero tradita fuit.

Iulius quoq; III. dedit Diaconiam S. Mariæ in via lata Presbytero Cardinali.

Nouissime Paulus III. Diaconias S. Mariæ in Cosmedin, & S. Mariæ nouæ Presbyteris Cardinalibus reliquit.

Et vt abusus omni ex parte responderet, è contra quosq; tituli qui Presbyterorum tantum esse debebant, Diaconis traditi sunt.

Primus enim Alexander V I. titulum S. Nicolai inter imagines paulo ante à Xysto IIII. factum, Diacono tradidit Cardinali, quod etiam Leo X. & paulo ante Paulus III. fecerunt.

Idem etiam Alexander V I. titulum S. Cyriaci in Thermis Diacono dedit.

Clemens vero VII. titulos S. Marci, S. Prædixis, S. Thomæ in Parione, & S. Laurentii in Damaso Diaconis tradidit.

Quem sequutus est Paulus III qui iterum eundem titulum Damasi, insuper titulos SS. Nerei, & Achillei, S. Petri in Vincula, & S. Xysti Diaconis concessit Cardinalibus.

Postremo Paulus IIII. titulum S. Thomæ in Parione Diacono Cardinali assignauit.

Quæ omnia emendatione digna essent. atq; hæc de Diaconis Cardinalibus speciatim dicta sufficiant.

Nouissimi omnium Episcopi, Cardinalis cognomen habuerunt, quum apud veteres inauditum fuerit Episcopum Cardinalem dici, quum omnes Episcopi (Patriarchis exceptis) æqualis sint auctoritatis, nullusque ratione altius Cardinalis dici possit, vt diffuse in libro de origine Cardinalium disputauimus. Atque vt Episcopi Cardinales appellarentur, originem manasse multis coniecturis docui crediderim, ab ea consuetudine quæ erat Romæ, vt septem ex circumuicinis Episcopis, Laterani, vel celebrarent, vel Romano Pontifici celebranti ministrarent; qui q; idem minus haberet Laterani, q; Presbyteri Cardinales per ceteras quatuor Basilicas Patriarchales, ideo Cardinales Episcopi dici cæpti; verum ob eam causam, neq; Patriarchis, neq; Metropolitanis, vel Archiepiscopis, neq; etiam Episcopis aliarum ciuitatum, licet Cardinales non essent, ante se tamen

con-

consecratis digniores erant, nec etiam eos præcedebant, vt demonstraui in libro de Cardinalium origine. Sed eorum præcedentia erat ratione temporis quo Episcopi creati fuerant, etenim Episcopus Card. Ostiensis, si post Episcopum Veronensem qui non erat Cardinalis, vel post alium quenuq; creatus fuisset, superiorem eo locum, neq; in consensu, neque in procedendo habebat, eos tantum Episcopos præcedebat qui post eum creati fuerant, quæ omnia iccirco dico, quod nihil dignitatis aut præminentia illis dabat antiquitas esse Cardinales. ceterum processu temporis, Episcopos primo non Cardinales, licet ante se creati essent, post Archiepiscopos, deinde Metropolitanos, & primates, demum Patriarchas ipsos præcedere cœperunt Episcopi Cardinales. quod circa Gregorij Papæ VII. & Urbani II. tempora usurpari paulatim cœptum est, quibus Romani Pontificis, cuius tum auctoritas, tam ratione rerum spiritualium, quam temporalium, Imperatoribus depressis suprema esse cœpit, electio de Imperatorum manibus, & potestate erepta fuit, Cardinalibusq; præcipue concessa. his igitur temporibus, quum omnium Cardinalium, tum Episcoporum, qui Romani Pontificis electionis præcipui auctores erant, auctoritas quam maxime aucta fuit, tuncq; ceteros Episcopos primo non Cardinales, mox Archiepiscopos, deinde Metropolitanos, & Patriarchas præcedere cœperunt, Cardinalesq; vere, & non metaphortice, hoc est Episcopi principales, appellati; quorum numerus, vt dixi certus erat, & finitus, vt etiam Presbyterorum, & Diaconorum Cardinalium, septem enim tantum erant: quod cur factum fuerit superius explicauimus. ceterum ob diuersas causas, quas in libro de eorum origine explicauimus, his septem Episcopis Cardinalibus, aliquando additos fuisse alios Episcopos inueni, vt sub Leone IX. & Paschali II. Episcopus Card. Veliternus; sub Clemente III. Antipapa, & Urbano II. Episcopus Cardinalis Nepesinus; sub eodem Urbano II. Labicanus; sub Paschali II. Parmensis, sub Innocentio II. Archiepiscopus Pisanus, Episcopi Mutinensis,



Ortanus, & Tiburtinus, nouissime sub Leone X. Reatinus, & iterum Tiburtinus, quum ecclesias Sabinam, & Praenestinam, quam à Julio II. habuerant, restituisset idem Leo X. Episcopis Cardinalibus duobus à Julio II. priuatis; Bernardino videlicet Caruaiali, & Guillelmo Briffonetta. quum autem ecclesia SS. Rufinae, & Secunda, alias Siluæ candida, deficientibus propter crebras barbarorum incursiones incolis, à Calisto II. Portuensi adiuncta esset, non nisi sex Episcopi Cardinales ordinarij fuerunt. qui numerus post Innocentij II. Papæ tempora ante quadragesimum ab hinc annum stabilitus vsque ad nostra tempora perdurauit, vt non essent plures quam sex Episcopi Cardinales viuentes, præsertim quum ecclesia Veliterna, quæ eum honorem aliquando habuerat Ostiensis ab Eugenio III. adiuncta sit, & Tiburtina eo honore priuata remanserit, vsque ad Leonem X. à quo necessitate urgente cum Reatina, semel tantum Cardinalis facta fuerit ecclesia. verum necessaria causa sublata, vtræque ecclesie Cardinales esse desierunt sub eodem Leone. Reliquæ vero ecclesie quas Cardinales appellatas fuisse aliquando legimus, nunquã postea eum honorem habuerunt, quum eum non habuerint ordinarie, sed necessitatibus quibusdam exigentibus, quæ omnia latius in libro sapius à me citato, de origine Cardinalium exposui. hicq; omittenda dixi, quod adhuc opus non multum faciant. itaque quæ dicta sunt, satis sufficiant. in cooptandis autem Episcopis Cardinalium ecclesiarum, antiquissima hæc fuit consuetudo. Moriente Episcopo Cardinali, alter à Romano Pontifice subrogabatur ex clero Romano, vel Presbytero, vel Diacono Cardinali, vel etiam Subdiacono apostolico. quod libere, & sine vlllo impedimento pertinebat ad Pontificem Romanum, vt quem vellet, substitueret ex omni clero Romano, multos enim ex Subdiaconis Episcopos Cardinales creatos fuisse legi. postea alia consuetudo circa Alexandria III. Pontificatum inualuit, vt is Episcopus Cardinalis crearetur, qui in Cardinalium Collegium cooptandus alterant

habere

haberet Episcopatum non Cardinalem, vel Archiepiscopatum. quoniam enim usque ad ea tempora ex Cardinalibus Presbyteris, vel Diaconis, Episcopi per orbem vniuersum crearentur, atque ex Cardinalatu gradus esset ad quemlibet Episcopatum, Episcopusque ex Presbytero vel Diacono Cardinali factus, Cardinalis esse desisset, tunc crescente cum Romani Pontificis, Cardinalium maiestate, et contra ex Episcopis aliarum diocesium Cardinales Episcopi primo, mox Presbyteri creari coeperunt. Legimus enim multos Cardinales Romanae ecclesiae non solum Episcopos factos Episcopatum ipsorum, qui postea Cardinales appellati sunt, sed etiam aliarum ecclesiarum, ut Pisanae, Mutinensis, Ortanae, & Patmensis, qui amplius Cardinales non appellabatur, quum Episcopalis dignitas maior esset Cardinalitia. Cardinalis enim Presbyter medius erat locus inter Episcopum, & ceteros Presbyteros non Cardinales. sub Alexandro autem III. sub quo Romana ecclesia ad maximum in terris fastigium euecta fuit, Imperatore potentissimo Friderico ahenobarbo, eoque ecclesiae Romanae infestissimo hoste, coculcato, victo, pacemque ab ecclesia petere coacto, tum primum ex Episcopis versa vice Cardinales fieri coepit. Cardinalium enim dignitas cum ecclesiae, & Romani Pontificis dignitate semper creuit, tunc autem maxima erat, qua ratione factum est ut Episcopi multi eam ambirent dignitatem, qua tantum gradus ad maximum erat Pontificatum. primus igitur Conradus quidam Germanus Imperatoris Friderici affinis, ex Archiepiscopo Moguntino, factus est Episcopus Cardinalis Sabinus, occasione tum huius nouitatis accepta, quod ab Imperatore Friderico Archiepiscopatu Moguntino exactus esset. quem postea sublato schismate quum recuperasset, eum cum ecclesia nihilominus Sabina usque ad mortem retinuit. hinc exortum est, ut quoties accideret, aliquos creari Cardinales, qui Episcopi vel Archiepiscopi essent, singulis vna ex Cardinalibus ecclesiis tradebatur, quod tunc incongruum videretur, ex Episcopo Presbyter fieri, sed minus inconueniens ex

Episcopo vel Archiepiscopo fieri Episcopus Cardinalis, hac igitur occasione, Episcopi Cardinales creabantur, ut omnibus locus esset ad Cardinalatus dignitatem, reliqui vero qui non erant Episcopi, si eos Cardinales creati contigisset, vel Presbyteri vel Diaconi creabantur. quod si in noua ecclesiæ Cardinalis prouisione, non occurrisset Episcopus aliquis, Cardinalis creandus, tunc ex senioribus Presbyteris Cardinalibus, vel ex antiquioribus in collegio Diaconis, arbitrio Romani Pontificis ecclesiæ vacanti prouidebatur, qui quem volebat ex Cardinalibus Presbyteris, vel Diaconis cooptabat. quod & si ut dixi sæpius contigisset ut id faceret ex antiquioribus Presbyteris vel Diaconis Cardinalibus, id tamen facere aliqua lege vel consuetudine non tenebatur, sed id honesta quadam ductus ratione agebatur, quæ postea paulatim in vltum conuersa est; multos enim Episcopos Cardinales non ex antiquioribus Presbyteris vel Diaconis, sed ex iunioribus cooptatos constat. quum autem semel acceptum Episcopatum Cardinalem, qui acceperat amplius dimittere non possent, neque inter Episcopatus Cardinales ea esset optio, quæ posterioribus temporibus usurpata adhuc viget, sæpe vltus veniebat, ut vacantibus Episcopatibus, Albano, Tusculano, vel Prænestino qui pauperes erant, Presbyter Cardinalis senior illum nollet accipere, Episcopatum quod forte ditorem titulum, vel Diaconiam haberet, tuncq; nouis Cardinalibus, vel antiquis, qui tenuiores habebant titulos aut Diaconias, licet posteriores tempore in collegio essent, tradebantur. si vero Sabinus, Portuensis, vel Ostiensis, qui opulentiores, & ditiores erant Episcopatus, vacare contigisset, hi senioribus plerunque, vel quibus etiam Papa volebat Cardinalibus, à Romanis Pontificibus tradebantur. Nam & hoc ex libera Papæ voluntate pendeat. multos enim ex iunioribus Presbyteris vel Diaconis Cardinalibus siue etiam nouos Cardinales ad hos etiam Episcopatus cooptatos fuisse legimus; adeo de hisce optationibus certa regula tradi non possit, quum omnia arbitrio Pontificis Romani

Romani gererentur. hæc enim summa est, eos Episcopatus libere in Romani Pontificis dispositione antiquitus fuisse, usque ad Eugenij IV. primo, mox Iulij II. tempora, quibus hicordo aliqua ratione primo sub Eugenio IV. mox omnino sub Iulio II. immutatus est, ut paulo post explicabo.

Sicut autem antiquior Presbyterorum Archipresbyter, & Diaconorum Archidiaconus appellabatur, sic etiam senior Episcoporum Cardinalium, antiquitus prior Episcoporum Cardinalium, posterioribus vero temporibus collegij Decanus vocitatus est. is autem post conditam Romanam ecclesiam semper fuit antiquior, qui Episcopus Cardinalis ordinatus esset, siue is esset Albanus, siue Prænестinus, siue Tusculanus, vel alius quilibet ex Episcopis Cardinalibus, unde pauci admodum Decanorum collegij per quadringentos, & quinquaginta annos fuerunt Episcopi Ostienses, quod non semper Episcopus Ostiensis senior fuerit Episcoporum Cardinalium. primus autem ætate nostra Paulus Papa IV. instituit ut non is Decanus haberetur, qui absolute antiquior esset Episcoporum Cardinalium, sed qui moriente Decano antiquior sit ex Episcopis Cardinalibus in vrbe præsentibus, absentes enim Cardinales Episcopos non pro ecclesiæ negotijs vacante Decanatu, ius in eo aliquod habere voluit, instituitque; ut is Decanus esset, & principem locum in collegio obtineret, essetque primæ in Consistorio sententiæ, qui antiquior esset, ex Episcopis Cardinalibus in vrbe præsentibus, vel etiam ecclesiæ tamen causa absentibus. qua ratione factum est, ut Ludouicus Borbonius, Episcopus Prænестinus, & Franciscus de Tutnone, Episcopus Sabinus, qui seniores Cardinales, Episcopi erant in Decanatu eo vacante præteriti sint, quod in electione Pauli Papæ IV. absentes fuissent, per quam Decanatus vacauit, voluitque Decanum esse antiquiorem, ex Episcopis Cardinalibus, qui adfuerant comitijs suis, qui fuit Ioannes Bellaius, Gallus, tunc ex Episcopo Portuensi, factus Ostiensis. hoc autem nouum, & inusitatum fuit, & nunquam antea factum.

Ceterum apud antiquos mos laudabilis fuit, atque per mille, & ducentos continuos annos in Romana ecclesia vsurpatus, vt neque Diaconi Diaconias semel acceptas, neque Presbyteri titulos, neque Episcopi Cardinales, Episcopatus suos vnquam mutarent; Diaconus enim in Diaconatus ordine manens semel acceptam Diaconiam nunquam dimittere poterat, & aliam accipere: similis ratio erat, Presbyterorum de titulis, & Episcoporum de Episcopatibus. quum autem Diaconus Cardinalis, Presbyter fieri volebat, dimissa Diaconia, quæ Presbyteris non conueniebat, titulum cooptabat, si autem ex Presbytero, Episcopus Cardinalis fieri accidebat, tunc dimisso titulo, Episcopatum suscipiebat, quem nisi Papa creatus esset, vsque ad obitum retinebat. hæc autem consuetudo vsque ad Bonifacii Papæ IX. & Alexandri Papæ V. tempora, in Romana ecclesia perdurauit. mutandi autem eiusmodi sacerdotia tres causæ fuerunt, quarum duæ priores necessariae, tertia non solum non necessaria, sed etiam inutilis, & mala fuit.

Primus omnium Cardinalium sub Bonifacio IX. titulum mutauit Bartholomæus Mezauacca Bononiensis, propter primam causam quæ necessaria fuit: quum enim creatus fuisset Presbyter Cardinalis ab Urbano Papa VI. tit. S. Marcelli, atq; ob quasdam sinistras suspiciones de eo conceptas, ab eodem non longe post priuatus esset Cardinalatu, eius titulus S. Marcelli nouo Cardinali, Presbytero Seraphano Palasio ab eodem Urbano creato datus est, mortuo autem Urbano VI. quum Bonifacius IX. Bartholomæum ipsum restituisset ad Cardinalatus honorem, titulum suum priorem, iam alteri Presbytero Cardinali, qui adhuc vacabat datum auferre noluit, sed ei alium titulum tunc vacantem dedit, videlicet tit. S. Martini in montibus. idem quoque accidit Philippo de Alenconio, qui quum esset Episcopus Cardinalis Sabinus, atque ab Urbano VI. priuatus esset, restitutus & ipse fuit à Bonifacio IX. Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Veliternus. hæcque fuit prima causâ necessaria mutar

mutandi titulos, quod non nisi bis factum fuisse constat sub ipso Bonifacio IX. altera causa necessaria mutandi titulos fuit, sub Alexandro V. quum enim schisma pessimum inter Urbanum VI. & Clementem VII. exortum fuisset, amboque tanquam veri Romani Pontifices multos Cardinales creassent, contigerat ut in omnibus fere Episcopatibus, titulis, Diaconiis Cardinalibus, duo essent titulares, alter in obedientia Urbani VI. alter Clementis VII. porro autem schismate quantum in utriusque obedientia Cardinalibus fuit, Pisis sublato, atque in duorum de Pontificatu altercantium, locum, tertio Alexandro videlicet V. suffecto, quum duo esse non possent, in eodem sacerdotio titulares, titulos, Episcopatus, & Diaconias aliquot, quæ tunc occasione schismatis duos habebant titulares mutare necesse fuit, etenim quum in obedientia Clementis VII. Guido de Malosicco Picta- uensis esset, Episcopus Prænestinus, & Petrus Gerardi de Podio Tusculanus, iudemque Episcopatus alios haberent, Episcopos in obedientia Urbani VI. videlicet Antonium Caietanum Prænestinum, & Henricum Minutolum Tu- sculanum, Episcopos, placuit Pontifici ut ij Cardinales qui essent obedientia Urbani VI. Episcopatus mutarent, atque ita Henricus ex Tusculano, factus est Sabinus, & Petrus de Podio remansit Tusculanus; item Antonius Caietanus ex Prænestino factus est Portuensis, & Guido de Malosicco retinuit Episcopatum Prænestinum; similis ratio fuit in titulis, Antonius enim Caluus Cardinalis obe- dientia Urbani VI. ex Presbytero tt. S. Praxedis, factus est Presbyter tt. Sancti Marci, quod titulus S. Praxedis alium haberet Cardinalem Presbyterum in obedientia Cle- mentis VII. videlicet Petrum Cardinalem de Hispania. similiter, & in Diaconiis, Petrus enim Hannibaldensis obedientia Urbani VI. Diaconus Cardinalis ex Diacono Sancti Angeli factus est SS. Cosmæ & Damiani, & Petrus Serra alterius obedientia, Diaconus S. Angeli Diaconiam

quam in sua obedientia habuerat, retinuit. idem factum fuit sub Martino III. dicto V. ob eandem causam: Jacobus enim Infulanus Diaconus Cardinalis relicta Diaconia S. Eustachij, quam à Ioanne XXII. dicto XXIII. habuerat, Alphonso Carillo, Hispano, quæ ei à Benedicto XI. dicto XIII. in schismate tradita fuerat, Diaconiam S. Mariz nouæ quæ tunc vacabat, cooptauit. hac autem occasione, duo aliquando Presbyteri, vel Episcopi Cardinales diu in eodem titulo vel Episcopatu fuerunt. Antonius enim Corrarius qui à Gregorio XII. & Lodouicus deBarro, qui à Ioanne XXII. dicto XXIII. diu simul, Episcopi Cardinales Portuenses fuerunt; donec Lodouici obitu Antonius Corrarius eum solus retinuerit. Idem accidit, & titulo S. Clementis, qui per XIV. fere annos duos habuit titulares, sub Martino V. videlicet Gabrielem Condulmerium, qui à Gregorio XII. & Brandam de Castilione, qui à Ioanne XXII. dicto XXIII. eiusdè tituli Cardinales facti fuerunt; donec creatione Gabriëlis in Papam Eugenium IV. solus in titulo S. Clementis remansit ipse Branda, atque hæc fuit secunda mutandi titulos necessaria causa.

Tertia porro causa nec utilis, nec necessaria, immo non bona ex secunda exorta est, quæ nunc passim frequentatur in Romana curia. quum enim multi Cardinales vidissent iam manus à Romanis Pontificibus missas esse ad eiusmodi mutationes faciendas, & si valde necessarias, cœperunt etiam ipsi titulorum, vel Episcopatuum mutationes à Romano Pontifice procurare, non necessitate aliqua, sed ut de titulo tenuiore transferrentur ad ditiorem, quorum omnium primus fuit Iordanus Ursinus Cardinalis creatus ab Innocentio VII. qui sub Alexandro V. quum vidisset eas fieri necessarias mutationes, quæ superius dixi, petiit à ipse à Pontifice Alexandro titulum sibi mutari, quod contra canones ecclesiasticos obtinuit, atque contra antiquam, & laudabilem consuetudinem, quæ per mille, & ducentos annos in Romana ecclesia obseruata fuerat. primus omnium Cardinalium sine necessitate aliqua titulo suo prius

priore videlicet S. Martini in montibus dimisso, quod tenuis esset, titulum opulentiores S. Laurentij in Damaso tunc vacantem cooptavit; cuius exemplum sequutus Petrus Hannibaldensis; mortuo Petro Serra Hispano cui Diaconiam S. Angeli dimiserat relicta Diaconia SS. Cosma, & Damiani, iterum eandem Diaconiam S. Angeli contra antiquam consuetudinem recepit. post autem has duas non necessarias mutationes, quæ sub Alexandro V. factæ fuerunt, nullam amplius factam inueni vsque ad creationem Eugenij IV. annumq; Christi 1431. quo anno primus omnium Episcoporum Cardinalium idem Iordanus Ursinus dimisso Episcopatu Albano, quem à Ioanne XXIII. habuerat, qui tenuis esset, sine causa necessaria, Episcopatum Sabinum tunc vacantem quod ditior esset assumpsit; cuius statim exemplum sequutus est Antonius Corarius, qui & ipse sine necessitate dimisso Episcopatu Portuensi, quem per 14. ferè annos obtinuerat, ab eodem Eugenio IV. accepit Episcopatum Ostiensem, quia opulentior erat. sub eodem quoque Eugenio Ioannes de Turre cremata relicto titulo S. Xysti quem primo habuerat, accepit titulum S. Mariæ Transiberim; qui postea quum à Callisto III. factus fuisset Episcopus Card. Albanus, eum Episcopatum sine necessaria causa sub Pio II. dimisit, accepto Sabinæ opulentiore, sub quo etiam Pontifice Guillelmus de Estontetilla, relicto Portuensi accepit Ostiensem, sub Paulo I. Ioannes Mela relicto primo suo titulo S. Priscæ assumpsit titulum S. Laurentij in Damaso. hæc autem sunt omnes non necessariæ mutationes, quæ ante Xysti Pontificatum factæ fuerunt, in quibus vsque ad id tempus temperantes admodum fuisse Romanos Pontifices apparet. primus postea Xystus IV. nulla habita ratione, non solum crebris mutationibus, omnia confundere cœpit, sed etiam quod ante id tempus inauditum fuerat, Diaconias Presbyteris, pro titulis, & titulos Diaconis, pro Diaconiis dare cœpit, adhuc tamen optandi mos non plene inoleuerat; arbitrio enim Pontificis vsque ad hæc tempora, Episcopatus, tituli,



& Diaconia vel dabantur vel mutabantur, iusq; optionis adhuc non erat integrum, verum tunc paulatim, & sensim exortiebatur: non enim videre possumus ante Alexandri VI. extremos Pontificatus annos, vel Iulij II. Pontificatum quempiam Cardinalium plus quam duos titulos, vel Episcopatus vel Diaconias mutasse. denique circa finem Pontificatus Alexandri VI. & initia Iulij II. crebra hæc mutandorum titulorum ratio, & ius optandi plene exorta sunt, quæ etiam nunc vsurpantur. tum primum enim sub Iulio II. accidit vt vnus Cardinalis omnes sex Episcopatus Cardinales optarit, is autem fuit Raphael Riarius, in qua optione hæc lex facta est, vt Cardinales absentes sine legitima causa, vt pro Romanæ Ecclesiæ negotiis in hisce optionibus nullum ius haberent, ac tanquam mortui haberentur. in optionibus autem sacerdotiorum Cardinalium ratio tantum habetur ditioris vel opulentioris tituli, Episcopatus, vel Diaconia, atque hi qui minus locupletes titulos, vel Episcopatus, aut Diaconias habent, opulentiores semper optant si quando vacare contingunt. Atque inter sex Episcopatus Cardinales hic est ordo optionis; primo optatur Albanus ceteris tenuior, post Tusculanus, Albanus ditior, deinde Prænестinus, vtrisque opulentior; ad hæc Sebinus, postea Portuensis, postremo Ostiensis omnium ditissimus. Si igitur forte obiit Episcopus Cardinalis Albanus, is Episcopatus optatur ab antiquiore Presbyterorum Cardinalium in vrbe præsentium vel Romanæ Ecclesiæ causa etiam absente. Si Tusculanus Episcopatus vacat, is qui in Episcopatu Albano, si præsens in vrbe est dimisso Episcopatu Albano, assumit Tusculanum, si absens, antiquior Presbyterorum Cardinalium præsentium, vel Reip. causa etiam absens Tusculanam optat Ecclesiã præterito Episcopatu Albano absente. Si obiit Episcopus Prænестinus, Episcopus Tusculanus Prænestinam, Albanus Tusculanam, antiquior Presbyterorum Albanam, si in vrbe præsentis et in optant Ecclesias. Quod si casu moriente Prænestino, neque Tusculanus, neque Albanus Episcopi in Vrbe essent, Prænestinam

vestinam sedem optaret antiquior Presbyterorum in vrbe  
 presentium. eadem ratio est & de sequentibus Episcopati-  
 bus Cardinalibus; Tusculanus enim Episcopus non opta-  
 ret nisi Sabinam, Portuensem, vel Ostiensem ecclesias, sic  
 Sabinus nisi Portuensem, vel Ostiensem, demum Portu-  
 ensis non nisi Ostiensem, Episcopus vero Ostiensis qui om-  
 nium ditior est nullum amplius habet optandi locum.  
 Estigitur hic ordo vt antiquior Episcoporum presentium  
 ius semper habeat optandi vacantes sedes Episcopales Car-  
 dinalium sua ditiores. Aliquando Romani Pontifices in  
 hisce Episcopis cooptandis optionis ius infringunt, pristinam  
 auctoritate, atque vacante qualibet harum  
 ecclesiarum, Portuensi, & Ostiensi exceptis, eas non Pres-  
 byteris Cardinalibus senioribus, sed alicui ex antiquis  
 Diaconis Cardinalibus eas tradunt, qui ex Diaconatu, in  
 quo per multos annos permanserint, sine Presbyterij gra-  
 du ad Episcopatum ascendunt. Hoc autem aliquando fit,  
 ius suum optandi concedente eo Presbytero Cardinale  
 seniore, qui optare deberet, aliquando autem ex mera  
 Pontificis Romani auctoritate. Hoc autem & si Pontifices  
 Romani omnibus Cardinalibus Diaconis antiquioribus  
 aliquando concedant, id tamen nunquam negare solent  
 eis Diaconis, qui eos in sua creatione, coronant, quibus in  
 coronationis (vt ita dicam) præmium, aliquam ex his sedi-  
 bus si vacare per ea tempora contigerit tribuunt, vt nouis-  
 sime fecit Paulus IV. Francisco Pilano Archidiacono Car-  
 dinali, qui eum ex Diacono, Episcopum Albanum creauit.  
 cæterum Clemens VII. volens aliquid præstare Marco  
 Cornelio Archidiacono qui ipsum coronauerat, eum ex  
 Archidiacono, Archipresbyterum creauit dans ei titulum  
 S. Marci, qui paulo ante vacauerat, locumq; primum inter  
 Presbyteros Cardinales, ex quo postea loco statim ad Epi-  
 scopatum ascendit, quum nolisset primo Presbyterorum  
 quitunc erat præiudicium facere in optione vacantis per  
 eos dies, Episcopatus; atque hæc est consuetudo quæ no-  
 stris temporibus vsurpatur in optandis Episcopatibus

Cardinalibus, quæ ratio eadem est, & in titulis, & Diaconiis: primus enim omnium id est ditior titulus (nam nulla est inter Titulos, Episcopatus, vel Diaconias præeminentia, quum omnes quantum ad dignitatem attinet æquales sint, nullusq; altero prior) est S. Mariæ Transtiberim, post Damasi, post Lucinæ, & sic deinceps, quum enim vacat titulus Lucinæ eum optat propinquior defuncto, Presbyterorum Cardinalium præsentium, si vacat titulus S. Mariæ Transtiberim eum optat titularis Lucinæ si in vrbe est, nisi Cardinalis propinquior in creatione defuncto; in Diaconiis etiam idem seruetur modus, ditiores enim optantur quum vacant, ab his Diaconis Cardinalibus qui teniores habent, quibus crebris mutationibus factum ut Cardinales, Titulos sibi, quum creati sunt primo commissos, non diligant, tanquam paulo post mutandos, eosq; ruerentur, neque vllam eorum restituendorum curam habeant, quare factum est, ut pleriq; tituli, & Diaconiatum iam solo æquata, partim ruinæ proxima sint. ceterum inter alios abusus etiam hic inoleuerat qui sub Paulo Papa III. ex parte sublati est, ut Presbyter Cardinalis, Episcopus factus titulum sibi priorem retineret tanquam in comenda, quod male factum (ut dixi) emendatione dignum esset.

In præcedendo autem hic ordo nostra ætate est, ut Diaconus ceteros Episcopos, Episcopi Presbyteros, Presbyteri Diaconos præcedant Cardinales quum Diaconus Cardinalis Presbyter fit, nouissimum locum post omnes Presbyteros tenet qui ante eum facti sunt Presbyteri, licet ipse longe ante in collegium cooptatus fuerit Cardinalium; in præcedendo enim non habetur ratio creationis Cardinalium, sed ordinis, ut qui primo Episcopus (nisi Decanus sit) posteriores, primo Presbyter posteriores Presbyteros, & primo Diaconus creatus sit posteriores Diaconos præcedat, & is qui præcedit prioris est in consistorio sententia, prioremque locum in optando habet. ceterum (ut dixi) præcedendi ordo in eis Cardinalibus Diaconis, qui Presbyteri

byteri fiunt, aliquando non obseruatus est à Romanis Pontificibus, vt à Clemente VII. verum id raro admodum vltimo venit, & non nisi semel quod sciam vsurpatum. multa præterea dici possent, vt de dignitate, officio, & habitu Cardinalium, item de ratione qua creantur, de consistoriis, quum publicis tum priuatis, de solennitatibus, quibus ad diuina peragenda cum Romano Pontifice conueniunt, & cæteris id genus, sed quum hæc omnia diffuse in libro, quem de eorum origine scripsi pertractauerim, & hæc quæ dixi, quantum ad hunc librum attinet sufficiant, ad eum librum qui quamprimum euulgabitur,

Lectores remittendos esse

decreui,

aaa 3

Diacon  
am nulla  
terminen-  
a quales  
tim, post  
vacat ti-  
es byre-  
s. Mariae  
e est, nisi  
n Diacon  
oprantur  
eniores  
Cardina-  
tos, non  
tueret  
aram in  
obiazu-  
ceterum  
ulo Papa  
piscopus  
in col-  
dignum  
s, vlti-  
es byri-  
s Cathe-  
es Pre-  
e et ipse  
lium in  
Cardina-  
anus in  
eros, &  
præce-  
tentia,  
vt dixi  
i Pres-  
byteri